



D. Gerhardi Titi Dogmata.

29.

DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
PECCATO EIVS  
QUE DIFFERENTIIS  
ATQUE CAVSSIS,  
QVAM  
AVSPICE DEO OPT. MAXIMO  
SUB PRAESIDIO  
GERHARDI TITII  
S. THEOLOG. D. ET PROF. PV-  
BLICI ORDINARII,

*Die VII. April.*

*IN ILLVSTRI ACADEMIA IULIA*

*Examinandam proponit.*

PETRVS OTTO HEISIUS  
Hannoveranus.



HELMESTADI,  
Typis HENNINGI MULLERI.

CIC 10 C LII.

Viro Admodum Reverendo, Amplissimo arg.  
clarissimo viro Dr: Achacio Mylio Sep:  
intendenti Alfeldensi meritissimo  
fautor: et patrono suo magno

V I R I S

Admodum Reverendis, Amplissimis, Clarissimis, Specatissimis & Prudentissimis

DN. IVSTO GESENIO  
SS. THEOLOGIÆ DOCT.

Serenissimi Celsissimiq; Principis ac Domini,

DN. GEORGII VVILHELMI  
Ducis Brunsvicensium ac Lüneburgensium &c.  
Ecclesiastæ aulico, Ecclesiarum per Provinciam  
Calenbergicam Superintendenti Generalissi-  
mo & Consistorij Adfessori,

DN. M. LÆVINO DROSE  
MEIERO Superintendenti Gronoviano,  
in Episcopatu Hildesheimensi.

DN. EBERHARDO AB ANDERTEN  
Reipub. Hannoveranæ equitum magistro &  
Senatori primario.

DN. VVARNERO DITERICO BLOCK  
Civi Reipub. VVolfferbytanæ prudentissimo.

Dnis Patronis, Promotoribus & adfinibus  
æternum venerandis.

Hanc disputationem Theologicam cum voto longioris vitae  
& prosperi successus submisse offert.

PETRVS OTTO HEISIUS  
Hannoveranus.



## DE PECCATO EIVSQUE DIFFERENTIIS ATQUE CAUSSIS.

### THESIS I.

Ræclarè Romanus sapiens Epist. xxviiiij.  
*Iustum salutis dicit esse notitiam peccati. Quod*  
quidem ille de initio salutis civilis, qualis  
saltem in hac vitâ utcunque obtineri po-  
test pronunciat, nos verò multo rectius de  
summa illa & æternâ animæ salute affirma-  
verimus, nempe initium quoddam ad eam esse notitiam  
peccati. Vndè sanctissimus Servator noster apud Iohan.  
ix. 38. *Adjudicium inquit in hunc mundum veni, ut qui non*  
*vident, miseriam & defectus suos, me indice ac common-*  
*stratore videant, & qui vident, qui existimauit sese suâ spon-*  
*te satis omnia pervidere cœci fiant, reapse experiantur se*  
*in suis nævis talpas hæc tenus fuisse, quin suæ quoque insæ-*  
*niae relinquantur. In Apocalypsi verò apud eundem di-*  
*scipulum sibi dilectum cap. 111, 17, 18. Tūdīcīs ait, dives*  
*sum, nullius ego, neq; noslī te esse arūmōsum, & miserabilem, &*  
*puuperem, & cœcum & nudum. Consulo tibi — ut collyrio in-*  
*ungas oculos tuos ut videoas &c. Quæ omnia eo fine adduci-  
mus, ut pateat quanta sit necessitas peccati naturam &  
profunditatē recte cognoscendi. Elegantissimè Apo-  
logia Augustanæ Confessionis; Est necessaria cognitio pecca- Artic. 2  
ti originalis (& eadem de reliquis ratio) Neg, enim intelligi  
potest magnitudo gratia Christi, nisi morib; nostris cognitis. Cui  
effato vel sola illa historia peccatricis, Luc. vii memora-  
ta, fidem luculentissimè conciliabit.*

A 2

II. Si.

II. Sicuti autem hæc manifesta sunt, ita statim aliquis fortassis quærat, quænam sit illa regula & cynosura, ad quam tutò explorare liceat quidnam peccati habeat rationem? Avociar esse peccatum omne, & ratio docet, & S. Iohannes<sup>1</sup> Epist. 111. 4. confirmat. Quæritur autem de ipso illo *vñus* & adæquato quidem ac sufficiente, ex quo peccatum omne dijudicare in promptu sit? Benè multi sunt qui respondent, regulam hanc, esse ipsam quam vocant legem naturæ. Quæ sententia omnino aliquid veri dicit, non tamen omne, nisi forte æquivocatio lateat sub titulo *legis naturæ*. Etenim lex naturæ vocari cum primis debebat norma juris & recti, homini integro concreata. Quæ sine dubio sufficiebat omni eo quod peccati coram Deo rationem habet pernoscendo. Sed ad eam normam frustra hodiè provokes, cum non amplius illustris illa notitia qua mens protoplastorum coruscabat, in nobis res fulgeat. Alij verò & communiter quidem, sumunt legem naturæ pro sensu recti justi & boni, post lapsum in nobis reliquo. Quem sensum æquè inconvenienter forte legem naturæ vocaveris, ac virgo deflorata titulum virginis occupet. Ei itaq; non licebit tutò semper in dijudicandis peccatis fidere. Certè aliquid peccatum esse quod lex naturæ ut hodiè accipi solet eo loco non reputet, ex cap. vii. ad Roman. est apertissimum. Reliquum erit ut soli verbo Dei revelato hanc quoque prærogativam tribuamus, ut id ipsum pro adæquato atque omni ex parte sufficiente peccatorum indice religiosè habeamus. Neque enim non idem illud clarissime docet. Rom. 111. 20. *Per legem est agnitus peccati: vñus, 7. Concupiscentiam peccatum esse, ex lege scriptâ demum cognoscitur.* Confer cap. v, 13.

Disp. 3 de Vnde recte doctissimus Henr. Höpfnerus, non voluntas cre-  
atus, sed lex creatoris est recti pravig. norma, cuius trans-  
phor. IV.  
§. 33.

statim ali-  
cynsura,  
cati habeat  
atio docet,  
ritur autem  
rente, ex quo  
e multi sunt  
am vocant  
uid veri di-  
o lateat sub  
cumprimis  
concreata,  
cati coram  
in norman-  
ris illano-  
nobis re-  
munt le-  
lapsum in  
nter forte-  
tulum vir-  
er in diju-  
n esse quod  
reputet, ex  
um erit ut  
ativam tri-  
ni ex parte  
us. Neque  
1.20. Per  
peccatum ef-  
r cap. v, 13.  
oluntas cre-  
enjustas cre-  
ges. 30

greſioſive inclinatione, errore, perturbatione, affectu, defectu, voluntate, consilio, aut motu quocunq; inordinata commiſſionis vel omissionis fiat, eſt peccatum. Qui itaque id nunc agimus, ut peccatorum species ac differentias pro ratione instituti breviter indagemus, ad scripturas & legem creatoris animum in sequentibus unicè advortemus.

III. Primū igitur sacræ scripturarum <sup>τῶν Ἰερωνύμου</sup> paginæ h̄ic docent, quod omnis humana imperitia infirmitas ut Augustinus alicubi loquitur, aliā ignoraret, nempe per unum hominem peccatum introiisse in mundum, sic ut omnes homines in eo unico peccaverint. Rom. v, 12 & per unam offensam illam, (reatus venerit) in omnes homines ad condemnationem, ibidem, v. 18. Quin non reatum tantum suæ <sup>πάτρονος</sup> in omnes omnino homines, etiam illos qui non peccarunt ad similitudinem transgressionis ejus, Rom. ibid. v. 14, quales sine dubio sunt infantes, transfusse, sed & posteros statim genuisse secundum similitudinem suam Gen. v, 3. terrenos scilicet & tales, qualis ipse post lapsum erat terrenus 1 Cor. xv. 48. quorum cogitatio cordis tantum sit malâ omni die Gen. vi, 5. cum initio creationis, ut ceteræ res omnes fuissent valde boni, Gen. i, 31; in quorum intellectu non sit cognitio Dei, nempe qualem ad salutem esse oportebat, in voluntate nec facultas nec desiderium inquirendi voluntatem Dei, nec ullus amor boni & justi; omnes, ne uno excepto condemnationi Dei obnoxios, Rom. iii, 1; venundatos sub peccatum, captivatos lege peccati in membris rebellantis, Rom. vii, 14, 23, à quâ se se nullatenus expeditere possint, v. 24; quod in habitibus pravis, solo peccandi exercitio contradicis, quantumvis adultis, contingere tamen adhuc potest; qui non possint ingredi in regnum cœlorum nisi regenerentur ex aquâ & Spiritu Ioh. iii, 5 filios ira naturâ, Eph. ii, 1, 5, cum ira Dei tamen presupponat peccatum

A 3

Rom.



Rom. i, 18; quorum *spiritum* non temporalis tantum  
moriendi necessitas & calamitates non unius generis Gen.  
111, 16, 19, 20. sed illa quoque *mors* sit, quæ vitæ æternæ  
opponitur, ipsa etiam utique æterna Rom. vi. ult. Adde  
si placet, loca Psal. li, 7 Iobi xiv, 4, Rom. viii, 7.

IV. Equibus & similibus pluribus locis, modò sen-  
sum ijs non inferre, sed ex ijs potius auferre parati simus,  
hæc nunc omnia manifestò colligere licet, I. reatum pec-  
cati ejus quod primus homo perpetravit, transiisse ad o-  
mnes quoque ipsius posteros II. illos ipsos ad damnatio-  
nem & æternam mortem luendam teneri. III. trahere  
simul à primo parente per generationem & proseminali-  
onem intrinsecam quandam depravationem, corruptio-  
nem atque labem, nec imaginem illam Dei ad quam pro-  
toplastus erat conditus ab ipso, sed in vicem ejus cœcita-  
tem intellectus, aversionem voluntatis à bono & conver-  
sionem ad malum dias in luminis auras afferre; defectus  
omnes tales ac tantos qui per totam vitam executi neque-  
ant, eosque regno cœlorum faciant extorres, nisi aliundè  
remedium fiat. Atque hoc horribile malum, ex reatu  
æternæ damnationis & profundâ illâ quam diximus cor-  
ruptionem quæ & ipsa Deo vel maximè exosa est, quasi con-  
flatum, Ecclesia ab antiquo *Peccati Originalis* nomine in-  
signivit.

V. Præter illa autem quæ enumeravimus, hoc quo-  
que ex productis scripturis evadit perspicuum, nempe in-  
Remon-  
strant, Pre-  
fat. Apol.  
vitâ veritate à nonnullis afferi, quod *Peccatum originis* vix  
duobus aut tribus scripture locis effodi posse, cum tot ut vidi-  
mus & multo adhuc plura in promptu sint; falsum autem  
Apolog.;  
cit. cap. vii  
pag. 84.  
prorsus & temerarium esse, quod addunt, *Peccatum origi-*  
*nale* non habendum pro peccato propriè dicto, quod posteros *A-*  
*dami* odio Dei dignos faciat. Nisi forte nos fallit scriptura,  
quæ



quæ tam disertè per unam offendam, reatum in omnes homines  
ad condemnationem venisse adseverat Rom. v, 18, 11 Thessal.  
L, 8. Circumspectè admodum Augustana Catholicorum  
Protestantium Confessio articulo secundo docet quod  
vitium originis verè sit peccatum, damnans & afferens eternam  
mortem his, qui non renascuntur per Baptismum & Spiritum  
Sanctum; Damnat Pelagianos & alios qui vitium originis negant  
esse peccatum &c.

VI. Scilicet Pelagianorum heresis, cui hodiè tanto  
conatu animam reddere quidam acrili gaudent, tem-  
pore Augustini omnium recentissima, exorta est à Pelagio mo-  
nacho, quem magistrum Celestius sic secutus est, ut sectatores eo-  
rum Celestant etiam nuncupentur. — Parvulos negarunt secun-  
dum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiqua primâ  
nativitate contrahere. Sic enim eos sine ullo peccati Originalis  
vinculo afferunt nasci, ut prorsus non sit quod eis secunda nativi-  
tate oporteat dimitti; sunt verba ipsius Sancti & magni Au-  
gustini, libro de heresis, cap. penultimo. Egregia  
autem, & cedro prorsus digna sunt quæ circâ hoc nego-  
tium observavit scriptor Pontificius sed eruditissimus,  
Cornelius Iansenius, opere prægrandi cui Augustini titu-  
lum fecit, cap. VIII: *Disputationes Pelagianorum adversus O-*  
*riginale peccatum & ejus pœnas, ex Ethicorum Philosophiapro-*  
*manarunt.* Nam illi non solum nihil de peccati ex Parente in  
prolem traductione sufficiunt, sed etiam ea, quibus Pelagius  
errorem suum imponeret, fundamenta præbuerunt. Cum enim  
nihil vituperabile esse scirent, nisi quod esset in ejus qui vitupera-  
batur potestate, nihil quoq. quod inesset à nativitate, vel culpe  
vel pœna appellatione dignum arbitrari sunt, ut Aristoteles omni-  
um nomine in Ethicorum libris clarè docet. Hoc Pelagius &  
Iulianus omnesq. Pelagiiani velut irrefragabile principium posue-  
runt ad innocentes parvulos ab omni culpâ suppliciog. liberandos.

Hec



Hæc ita Iansenius ille, quibus ipsa rei veritas omni ex parte suffragatur. Verum enim verò, nisi umbram potius veritatis quam veritatem ipsam Pelagius & complices sectari voluissent, tuius & rectius utique Paulum in tertio cœlo eruditum, quam Aristotelem aliquem è Peripato aut è Stoà Zenonem hic audivissent. *Quid enim illi hac de res apere potuerunt, qui nec sciverunt, nec legerunt illud; per unum hominem peccatum intravit in mundum,* ait perbellè malleus ille Pelagianorum S. Augustinus, libr. IV. contrà Julianum præscript. cap. xv. Et elegantet Tertullianus; *Nostrum institutio, ac porticus est Salomonis.* Non injuriā itaque Pelagium aliquem aut Mennonem aut Socinum censemus hisce Hieronymi verbis, sed paulisper inflexis, sive compellandum sive ob*jurgandum: Qui Christianum re esse dicas, gentilium arma depone; Discant illi magis à re peccatum originis confiteri, quæ tu ab illis negare.*

Epist. 6<sup>a</sup>, cap. II.

VII. Ostendimus paulò ante, nempe §. III acculatis datâ opera compluribns sacrae Scripturæ oraculis, hominem corruptum & sub irâ Dei constitutum à parentibus suis in lucem prognasci. Quæ testimonia ita comparata esse existimamus, ut ex illis haut difficulter definitio aliqua aut definitionis quoddam instar, quo ipsa ut loquuntur quidditas hujus mali exprimatur, concinnari possit. Quâ de re tamen veteres ante Augustinum vix invenias laborasse. Augustino verò ipsi aqua hic hæsisse videtur. Septimo itaque demum post Augustinum Seculo docuit Anselmus, *peccatum Originis esse factum per inobedientiam Adami iustitia debita nuditatem, per quam omnes filii sint ira;* quam comitetur beatitudinis quog nuditas. Post eum Hugo de S. Victore peccatum originis dixit esse *vittum, quod nascendo contrahimus per ignoraniam in mente & concupiscentiam in carne.* Quas definitiones plerique, quasi consen-

De concept. virg. cap. 26.

L. de Sacram. fidei part. 7. cap. 31.



consensu quodam postmodum sunt amplexi. Adèò ut ipsa Augustana Confessio nostra à sensu illarum non abeat. Omnium verò plenissimè Excellent. Dn. D. Calixtus Præceptor & èveq[ue]m noster submissè colendus; Peccatum Originis est à primo peccato & inobedientia Adami in omnes ejus posteros communi & carnali modo progenitos (ut excludatur Christus & includatur B. Maria) derivata justitia originalis privatio, eos reddens impotentes & inhabiles cognoscere, amare & colere Deum quemadmodum ad salutem est necessarium, & proinde faciens ut de Deo non sciant que scire deberent, verba ejus quantumvis revelata in dubium vocent, bona caduca Dei a mori preferant & ad ea inordinatè ferantur, atq[ue] adèò excludens à gratia & amicitiâ Dei & à regno cælorum. Quæ omnia ē segmento nostro tertio deduci posse, nemini non de facili apparebit.

VIII. Dicitur in allatis descriptionibus peccatum Originis esse amissionem, parentiam aut privationem justitiae Originalis. Quod de peccato illo formaliter sumto, & prout subjecto suo seu materiali, cui inest quodque denominat opponitur, est capiendum. Nam materiale ipsum utique aliquid positivum esse concedimus. Si verò ipsum formale, ens positivum sive extrà nihil positum esset, alterutrum sequeretur, aut peccatum illud à Deo, à quo omnia sunt quæcunque sunt Ioh. i, 3. esse profectum, aut aliud quoddam præter Deum rerum dari principium. Quorum utrumq[ue] impietatis & absurditatis est manifestissimum. Plura de materiali & formali peccati originalis ante pridem diximus Disputatione in loca nonnulla Epitomes Calixtinæ quæ hic volumus repetita. Hoc loco id monemus, quod materiale peccati originalis juxta dictum Augustini plæriquæ concupiscentiam nominent, quæ videlicet reddat parvulum habilem sive pronum in-

B

ordina-

ordinatè concupiscere, & adultum actu ita concupiscentem. Quin imò qui accuratius rem considerant, concupiscentiam sumtam in actu primo, sive pro inclinatione ad concupiscentium malum, non solum appetitui sensitivo, sed intellectui quoque & voluntati adscribunt. Etenim in intellectu hæret pronitas quædam ad errores, in voluntate ad odium & desperationem, in appetitu ad carnalia desideria, quas pravas inclinationes ceu aliquod unum aggregatum uno concupiscentiæ nomine nonnulli insignire amant. Et quoniam defectus quos diximus perseveranter insunt, & potentias partim ad bene agendum inhabiles & ineptas reddunt, partim ad perperam agendum disponunt & commovent, indè morbos vocant & habitualem à vero & bono aversionem, & ad falsum ac malum conversionem agnoscunt.

IX. Hisce ita perceptis, non incommodè nunc porrò quæri poterit, cum Christiani omnes doceamus & fateamur peccatum Originis tolli per baptismum, quidnam tum ejus, & in quantum submoveatur? Respondeat pro nobis ipse Doctor Angelicus Thomas, comment. in Epist. ad Rom. c. iv. vers. 7; Peccatum originis remitti dicitur, quando transit reatus superveniente gratiâ (tu intellige gratiam condonationalis) sed remanet actu remanente somite sive concupiscentiâ, quæ non tollitur totaliter in hac vita sed remittitur, sive remissio redditur ne amplius dominetur; quod Apo-

Rom. vi. 6 stolus voce natu<sup>re</sup>genuit ut Beza benè redidit, voluit exprimere. Secundum Thomam itaque qui hic dicit quod res est, in baptismo tollitur reatus peccati ne imputetur ad mortem; infringitur quoque & reprimitur vis atque tyrannis concupiscentiæ, ut imposterum Spiritui sive inclinationibus novis à Spiritu sancto ad omne bonum accensis subjiciatur; non tamen prorsus eradicatur, sed

concupiscentia  
rant, concu-  
piscere inclinatio-  
nei sensu-  
scribunt. Ex-  
ad errores, in-  
petitus ad ca-  
uam aliquod &  
ine nonnulli  
diximus per-  
ne agendum  
peram agen-  
tos vocant &  
ad falsum ac  
è nunc por-  
amus & fa-  
ci, quidnam  
ondeat pro-  
ent, in Epist.  
dicitur, quan-  
lige gratiam  
ante sine con-  
demnitutem,  
quod Apo-  
eddidit, vo-  
e qui hic di-  
ccatione im-  
primitur vis-  
um Spiritui  
d omne bo-  
eradicatur,  
sed

sed remanet actu imminuta secundum gradus, quam pos-  
tea somitem peccati alij, alij languorem naturæ & fon-  
tem tentationum appellant. Atq; hæc est vera doctrina. De  
illo vero somite porrò inter nos & Pontificios queritur,  
utrum peccati verè & propriè dicti habeat rationem? No-  
stra sententia est, concupiscentiam tamen ante quam post  
baptismum, ut secundum magis & minus sive gradibus  
variet, *avouov nihilominus esse, adeoque veri nominis pec-  
catum, quod renatis quidem quamdiu non consentiunt  
non imputetur ad damnationem propter Christum Rom.*  
**VII. 1.** in infidelibus autem & extra gratiam positis, verè  
reputetur quod sit, & ceu peccatum ad damnationem im-  
putetur juxta illud Pauli Tit. 1. 15. *Infidelibus nibile est purum.*  
Pontificij autem concupiscentiam nec ex suâ naturâ, nec  
in ipsis infidelibus peccatum esse contendunt, sed natura-  
lem potius imperfectionem, & negativam quidem non  
privativam esse disputant. Nos credimus Paulo Rom. VII.  
**7.** in terminis afferenti, *Concupiscentiam se non norisse pecca-  
tum esse, nisi lex (revelata) dixisset, non concupisces. Quod de  
concupiscentiâ in actu primo & eâ quæ in actu secundo sed*  
involuntaria est, utique fuerit capiendum. Eam enim cui  
mens consentit sive proæreticam, recta quoque ratio sine  
lege revelatâ damnat. Ibidem loci concupiscentiam A-  
postolus vocat *legem in membris suis, rebellantem legi mentis*  
**vers. 23,** & propter ipsam se miserum profitetur, & lamenta-  
tur *peccatum in se habitare.* Vnde ipse quoque lesuita Beca-  
nus Theolog. Scholast. part. 2. tract. 3. quæst. 2. n. 2. con-  
cedit tandem verba Pauli **vers. 23.** jamiam adducta, in-  
telligenda esse de concupiscentiâ quæ incitet ad pecca-  
tum, & sic potius *discepsio à lege* sit quam lex. Nec nobis  
officit, quod S. Augustinus ita de concupiscentiâ quæ in  
renatis & baptizatis adhuc residua est, passim loquitur, ut

Cam aliquando videatur negare peccatum esse. Agnoscit enim eam peccatum, quoties eam considerat ut rationi renatae & legi mentis adversantem ( quod ipsam eam peccatum esse facit ) in renatis adhuc perseverare; negat esse peccatum, quando considerat per Dei gratiam & Christi meritum à reatu in baptismo esse absolutam. **Quin imò tractatu III.** in Iohannem, agens de discrimine peccati regnantis & non regnantis, concupiscentiam nominat peccatum, quod utimox subjungit, Deus odit, & curando agit ut consumatur. Plura de hoc argumento legi possunt apud Doctissimum Henr. Höpfnerum Disput. II. de Iustificat. Aphor. II.

X. Satis nobis videmur ἦν τῆς αὐαρεῖας τῆς περιπάτους ut Græci Patres quandoque appellant, verborum fecisse. Neque enim nunc quidem institutum nostrum est, ad illam Augustino à Pelagianis mota de peccati hujus unā cum anima nostrâ propagationis modo quæstionē, quam **Veteres in hac vita insolubilem fassos esse questionem** dicit Gregorius magnus, descendere. In medio sunt doctissimorum hominum, utinam non scœvæ aliquando, de istâ materiâ disceptationes. Quæstionem ipsam fundamentali de peccato originis doctrinæ annatam, & ad salutem cognitu necessariam non esse, ipse Augustinus agnovit. **Etiam hinc ait**, de origine animæ locutus lib. II. de peccat. meritis cap. ult. *divinorum eloquiorum clarissima autoritas es-  
set, si homo illud sine di- endio promissa salutis ignorare non posset.* Nos itaque alijs opiniones suas sine indignatione relin- quemus. Nolumus tamen diffiteri, sententiam quam Exercitat. de Peccat. Orig. ante triennium circiter propo- suit Dn. D. Calixtus noster ὁ παναγιώτος, sese nobis præ alijs probabilitate suâ commendare:

XI. **E**scent quoque aliorum incommodæ aut absur-  
dæ quan-

da quandoq; circa gravissimum hoc Christianæ fidei caput  
sententia prolixius discutienda, ceterum nec vacat jam  
nec lubet ad vivum omnia resecare. Sufficiat breviter  
quicquid harum est perstrinxisse, quas facili negocio ca-  
vebit, qui ea quæ superius commentati sumus, animo  
probè impresserit. Cum Pelagianis itaque hodiè faciunt,  
Anabaptistarum πλυνθιλούρια turba, segreges Sociniani,  
eorumque proxeneta Arminiani. Deliravit etiam haut  
leviter Zwinglius, qui morbum saltem aliquem hæredi-  
tarium qualis balbuties aut calculus esse soleant, hoc  
peccatum esse censuit, quod damnationis quoque pænam  
de sese non possit inferre. Inter Pontificios Albertus Pi-  
ggius & Ambrosius Catharinus peccatum hoc videntur  
in solo reatu & imputatione delicti Adamitici collocare,  
quâ ratione posteris Adami nihil intrinsecæ corruptionis  
fuissest adventurum. Quibus autoribus ipsi eorum grega-  
les eo nomine barbam vellicant, & stylo ac acu punctim  
cæsimque eos invadunt. Prorsus vero insulsè Flacius, vir  
alioqui sua laude non defraudandus, & maximè qui ei co-  
mites iverunt, peccatum originis statuerunt ipsam homi-  
nis corrupti substantiam esse atque naturam. Quos vel  
unicum illud Apostoli Rom: vii. 17; Non ego sed peccatum  
in me habitans; ad meliorem mentem revocare potuisset,  
ubi peccatum à substantiâ hominis ipsâ tam clare discer-  
nitur, ut non possit magis. Eorum nihilominus unus non  
ignobilis, M. Antonius Ottonis ausus est in publicum pro-  
trudere librum cum hac inscriptione; Bericht wieder das  
faule stinkende Scheidewasser der Accidenz / die verderbte  
Natur von der Erbsünde zu scheiden. Ceterum hunc er-  
rorem è finibus Ecclesiarum nostrarum gravissime pro-  
scriptum, & quam ingens absurditatum syrma post se tra-  
hat simul ostensum reperiet qui volet in Corpore nostro

B. 3.

Julij



Iulio, & ipsa Concordia formulâ. Tandem notamus fru-  
strâ esse Pontificios, qui à περιφέρεια B. Mariæ τῆς θεοτόκου ad-  
scribere audent quod sine peccato originali in hunc mun-  
dum venerit. Vniversalē enim est illud Pauli Rom. v. 12,  
*in Adamo omnes peccarunt.* Nec quenquam exceptum ali-  
bi legimus nisi unicum Christum, qui separatus fuit à pec-  
catoribus Hebr. iv. 15, viii. 26, neque communi & carnalē  
modo, sed inumbrante sanctissimam matrem Spiritu S.  
est conceptus Luc. i. 35. Vndè nec tam mors in eum tran-  
sit, quām voluntariē ab eo admissa ac suscepta est. Iohan.  
x. 18. Tantūm hac vice de peccato originali.

XII. Cum autem non possit *arbor mala bonos fructus*  
*facere* Matth. vi 1. 18. fit ut homines isto malo infecti, actu-  
alia quoque peccata subinde plurima committant. Vbi  
statim aliquis interrogabit, quid peccatum actuale vo-  
cetur? Nos dixerimus esse *malum actionis exercita vel omissione*,  
contrā quām legi divinæ conveniat. Alij paulò prolixius  
sed sensu eodem; peccatum actuale est omnis actio aut o-  
missione, interna vel externa, theoretica vel practica non  
conformis regulæ divini verbi. Dicitur, omnis actio vel  
omissione. Neque enim solum legem transgreditur quidi-  
citat aut facit quippiam v. gr. quod illâ prohibitum est, sed  
etiam qui id dicere aut facere negligit quod ea imperatum  
est, juxta illud Iacobi iv. ult; *qui noverit recte facere nec fa-*  
*cit, is peccato tenetur.* Vndè etiam peccatum actuale com-  
munissimè in commissionis & omissionis peccatum di-  
stinguitur. Imò fit ut peccatum commissionis aliquando sit  
causa peccati omissionis, quomodo ambitio erat causa non  
profitendi Christum Ioh. xii. 42. 43. Porrò quando pecca-  
tum actuale diximus esse actionem vel omissionem &c, intel-  
lectam volumus tam involuntariam quām voluntariam.  
De voluntarijs vix est dubium; de involuntarijs autem vi-  
dea-



Videatur S. Paulus Rom. vii, à v. 14 usq; ad finem. Sed opere  
æ premium est alias nonnullas actualis peccati divisiones  
lustrare. Celebris est divisio sumta à causâ efficiente, in ea  
quæ sunt, ex ignorantia, metu, affectu, & malitia. Quæ  
omnium facilimè intelliget qui nobilissimam illam de  
principijs actionum humanarum doctrinam probè perdi-  
dicerit. Eruditissimè autem explicata sunt ab Excellen-  
tissimo Dno. D. Calixto part. I. Epit. Theolog. Moralis.  
Certè quantumvis aliquando urgente metu malum faci-  
as, poteris nihilominus gravissimè peccare, ut patet ex  
Marth. x. 33. Similiter peccatum ex ignorantia profectum  
damnationem de fœse promeretur. Patet hoc ex Matth.  
xxv. 42. seqq; *Ite maledicti in ignem æternum* Quorum pec-  
catum, omissionem ignorantiae accepto ferendam fuisse,  
manifestum reddit eorum exceptio; *Domine quando te vidi-  
mus esurientem &c.* Ingens autem discrimen inter peccata  
ignorantiae & ex malitia profecta esse, uti per se constat,  
ita evidentissimum est è verbis Salvatoris Luc. xii. 47, 48.  
*Ille autem servus qui novit voluntatem Domini sui — nec fecis-  
— caderur multis plagiis; qui autem non novit voluntatem & fe-  
cit dignaplagis, cæderur paucis.*

XIII. Nullatenus autem prætereunda nobis distin-  
ctio peccatorum, petita ex eventu, quo aliud veniale,  
mortale aliud à Doctoribus appellatur. Quam distinctio-  
nem, si rectè explicetur, sine causa fastidiunt quidam ex  
Reformatis. Evidem omne peccatum in se, quia legem  
Dei violat, Deum quoque offendit, & privationem gra-  
tiæ, iram Dei ac mortem spiritualem idcirco meretur.  
Deut. xxvii. 26. Matth. v. 19. Iacob. ii. 10. Nihilominus  
ea vis est pauci Evangelici, ut si quis verâ fide Christo ad-  
hærens, in virtute gratiæ Spiritus sancti peccata proære-  
tica

Vita vitet, illi Deus ex misericordia propter iugem Christi,  
in cœlis intercessionem, ea qua humana fragilitas parva qui-  
dem sed crebra et amens subrepunt ut Augustinus Epist. 108 lo-  
quitur, non reputet ad damnationem : Nulla enim est a  
equalis condemnatio iis qui sunt in Christo Iesu, qui non ambu-  
lant secundum carnem, sed secundum Spiritum Rom. VIII. 1.  
Psalm. xxxvii. 24. Vnde etiam discrimen peccatorum  
mortalium & venialium non desumitur à naturâ peccati  
ipsius, sed à certo subiecto, quale sunt renati & in statu  
gratiæ positi, quorum Deus misereatur *ceu pater filiorum suorum* misereatur Psalm cii. 3, nec in omnibus secundum ri-  
gorem cum illis agit. Perspectum id habuit Iohannes  
Gerson Doctor suo seculo habitus Christianissimus, qui  
opusculo de vitâ Spirituali animæ, corollarioprimo ita  
docet : Nulla offensa Dei est venialis de se, nisi tantummodo  
per respectum ad divinam misericordiam, qua non vult de facto  
quamlibet offensam imputare ad mortem, quum illud possit justifi-  
cire. Et ita concluditur, quod peccatum mortale & veniale in-  
esse tali non distinguantur intrinsecè & essentialiter, sed solum  
per respectum ad divinam gratiam, qua peccatum istud imputat  
ad pænam mortis & aliud non &c. Interim nihilominus ma-  
net verum, peccatum aliud alio gravius esse, & quamvis ex  
suâ naturâ omnia mereantur æternam damnationem, u-  
num tamen præ altero plures pœnarum gradus reporta-  
turum. Benè Guilielmus Estius, celebris partis Pontificiæ  
Doctor Annotat. ad locū Matthæi v. 22. *Christum*, ait, confitu-  
ere gradus & incrementa pœnarum, sed omnia tamen merei æter-  
nammortem. Et ad eundem locum Maldonatus ; *Christus*  
& cum qui irascitur, & cum qui fratrem suum levem, & cum  
qui stultum appellat, eadem inferni pœna, non eadem pœnogra-  
vitatem dignum docet.

XIV. Ast Pontificij peccata quædam ex suâ naturâ  
venia.



venialia esse contendunt, quæ Deus per justitiam suam g-  
ternâ morte punire nequeat. Vnde porrò venialia alia di-  
cunt esse ex suo genere, ut verbum otiosum, alia ex im-  
perfectione operis, cujusmodi sunt partim illa, quæ fiunt  
ex subreptione, ut subiti & indeliberati motus concipi-  
scentiæ, superbiæ, iræ, alia ex parte materiæ, ut furtum  
unius obuli, quod neminem notabiliter lœdit. Quin ne-  
quid liberalitatis in sese desiderari patiantur, audent non-  
nulli in hunc numerum sequentia quoque conjicere: non  
benè sanctificare sabbatum, vindictam ex passione animi,  
convicium ex irâ et si cum deliberatione injectum, deside-  
rium habendi conjugem alienam sub phantasiâ propriæ,  
obsceniloquium, scurrilitatem, falsum juramentum non  
deliberato judicio commissum, & alia quæ atro carbone  
in letiferorum criminum catalogo dudum consignavit A-  
postolus, ut paulò post audiemus. Nos verò numero præ-  
cedente peccatum omne & legem transgredi, & æternam  
maledictionem incurrere cum scripturis diximus. Neque  
ex rei parvitate & materiâ offensa debet æstimari, sed ex  
magnitudine legislatoris, vetantis offensionem sui tām in  
parvis quām in magnis. Nam si hoc Pontificiorum placi-  
tum obtineret, quomodo Adam ob esum unius pomi, rei  
tam exiguae, ex quâ nihil adeò detrimenti capiebat domi-  
nus totius universi, & sibi & posteris æternas temporalesq;  
miseras potuisset attrahere? Ratiunculas quibus pugnare  
solent Papistæ pro peccatis nonnullis ex suâ naturâ puniri  
indignis, vix titivilitio emittes omnes. Dissolvit autem  
diligenter, D. Meisnerus in Anthropologiâ quæ hic videri  
meretur.

XV. Posito tamen eo quod nos posuimus, nempè  
quædam peccata ex misericordiâ Dei in renatis fieri venia-  
lia, haut injuria aliquis hīc querat, circa quænam, &

C

quando



Quando renatus veniale tantum peccatum committere sit censendus? Quam quæstionem sicut ad praxin cognitu necessariam esse per se patet, ita haut facile quispiam tamen definierit. In genere dicere possumus, peccatum veniale dici, quando renatus peccat, sed non contrâ conscientiam, sive non ex proposito nec deliberato animo, sed per inadvertentiam ac citra plenum consensum & approbationem voluntatis, ut si qua dubitatio vel motus pravus subhoriat in animo, homo tamen ei non assentiat, vel re ipsâ non perficiat ad quod impellitur. Nec di-

Disput. de  
peccat.  
splicet nobis axioma Dn. D. Hulsemanni, viri clarissimi;  
Vbicung, tanta sollicitudo ad cavenda peccata seu animi vulnera non adhibetur, quantum quisq; per naturalem prudentiam adhibere solet ad vitanda corporis vulnera vel quamcung; rem noxiā, fugiendo vel locum, vel personam, vel tempus, vel occasionem aliam quâ ordinariè & facilimè solet laidi, ibi non esse peccatum veniale. Addit exempla; v. gr. quando quis occasionem ebrietatis non declinat, quâ occasione videt per naturalem prudentiam sese ad homicidium, ad fornicationem induci solere, hic & nunc induci posse: vel si quis ejusmodi arma inconsulto & sine causa tractet quorum imprudentia usū hic & nunc proclive esset aliquem interfici, tametsi internecio involuntaria fuerit, quia tamen necans humanâ prudentiâ videre potuit, facile posse aut solere etiam hic & nunc ex illâ inofficiosa & non necessariâ armorum tractatione mortale peccatum sequi non fugiendo occasionem illam, peccatum consequens mortale efficit, quod tale futurum non fuisse, se nulla humanâ prudentiâ potuisse declinari.

XVI. Mortalia peccata sive mortem animæ æternam à quounque perpetrentur illico afferentia quænam sint, omnium tutissimè nos docebit S. Paulus Gal. v. 19. seqq.  
Manifesta sunt opera carnis, que sunt fornicatio, immunditia,  
Obitup. impi-



impudicitia, luxuria, idolorum servitus, beneficia, inimicitia, contentiones, simulationes, irae, dissensiones, hereses, invidiae, homicidia, ebrietates, commissationes & similia, quæ p[ro]p[ter] adico vobis sicut & prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur. 1 Cor. vi, 9, Nolite errare, neq[ue] fornicari, neq[ue] idolis servientes neq[ue] adulteri, neq[ue] molles, neq[ue] masculorum concubitores, neq[ue] fures, neq[ue] avari, neq[ue] ebriosi, neq[ue] maledici, neq[ue] rapaces regnum Dei possidebunt. Confer Ephes. v, 3. 4. 5; Coloss. iii, 5. 8. 9. Dicet fortè aliquis; Inter coetera memorantur etiam ab Apostolo iræ: num itaque quicunque irascitur, statim peccatum mortale committit, & gratia Dei excidit? Respondemus, hoc quod de ira dicit Apostolus, non accipiendo de quovis motu iræ obrepente & indeliberato, sed de irâ cui plenus consensus accedat, & cui dominium permittatur. Asseverat enim Apostolus eos qui talia agunt, regni Dei non fore heredes. Iam verò motibus qui occupant hominem priusquam advertat & consentiat, agitur ille potius quam quod agat ut homo. Qui itaque talia dira quæ Apostolus commemorat, agunt, in iis regnat peccatum, & concupiscentia carnis perficitur Gal. v, 16. Idem etiam dum ista agunt excludunt gratiam Dei, Spiritum S. & fidem, utpote ab habitatione illa speciali Spiritus S. unicè pendentem, nec possunt ingredi regnum cœlorum.

XVII. Neque verò hic audimus quod libro de Satisfactione cap. viii scribere non dubitavit Socini infasta proles Valentinus Smalcius. Quod Paulus dicit, quod adulteri, homicida, non sint consecuturi regnum Dei, id tantum deis intelligendum esse res ipsa loquitur, qui in peccatorum istorum sive unius sive multorum habitu harent, vel ut Paulus loquitur, qui talia faciunt. Facere autem is peccatum dicitur, qui peccati habet consuetudinem. Opponemus novæ huic insanior eruditam responsonem *n[u]nacis* Dn. D. Nicolai Hun-

Exam. er.  
tor, Photin

**De statu hominum, viri eximij.** Si satis est dixisse sine probationibus, dicimus nos, intelligi simul & actus & habitus; alius quidam, forsan delicta. II cap. III. §. 27. referet ad actus non ad habitus. — Quædam vocabula (in sententijs Paulinis) per se notant actus; cogitationes malas sunt actus, homicidia sunt actus, & sic de ceteris; sive igitur consulas Scripturam, sive communem loquendi usum, peccatorum singularium actus indicari certum est. Quid enim est fornicarius? quid adulter? quid fur? &c. an is tantum, qui in hisce peccatis voluntatur quotidie, an vero qui semel illa committit? judicent omnes qui vel linguas callent, vel scripturas legerunt unquam, an non tituli isti ignominiosi & illis competant, qui uno delicto sese poluerunt. Cætera non addimus. Atque hæc quidem circa distinctionem peccati in mortale & veniale dixisse nunc sufficiat.

XVIII. Superest considerare rationem ejus peccati quod peccatum in Spiritum sanctum, & nali ἐξοντα quidem tale vocat ipse Servator Matth. xii, 31. Dico vobis, omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, blasphemia vero in spiritum non remittetur hominibus. Et quisquis locutus fuerit adversus filium hominis, remittetur ei, quisquis autem locutus fuerit adversus spiritum sanctum, non remittetur ei neq; in hoc seculo neg. in futuro, seu ut Marc. 11, 29 id exprimitur, non habebit remissionem in eternum. Hoc vero peccatum cum Excell<sup>mo</sup>

**Epit. pag. 431.** Domino D. Calixto censemus esse inficiationem cognitæ veritatis; ex malitioso proposito, cum oblectatione & voluntate perseverandi. Certe tale propositum perseverandi, imò actualiter perseverantiam videre est in Pharisæis, non pro se se solùm, sed etiam pro filiis suis inimicitia adversus Christum profitentibus Matth. xxviii, 25. & experientia teste etiam continuantibus. Porro hoc ipsum peccatum cum interminabilem sui continuationem, atque adeò finalem impoenitentiam includat, remissibilitatem ut sic dicamus,

suā

suā spontē etiam excluder, atque ita ut ait Servator, nunquam remittetur.

XIX. Tandem de caussis peccatorum etiam non nihil adjiciemus. Et Originalis peccati causa quānam sit, dubitare amplius non licet, in memoriam revocantibus quā superiū dicta sunt. Sicuti autem peccati Originalis causa est Adamus, & uxor quoque ac serpens qui eum induxerunt ad transgressionem divini mandati, ita nunc actualium peccatorum cauſa est congenita naturę pravitas & uniuscujusque propria voluntas. Iacob. 1, 13. *Vnusquisq; tentatur dum à propriā cupiditate abstrahitur & inescatur; deinde cupiditas postquam concepit, parit peccatum.* Matth. 6, 17. *Putris arbor facit fructus putres — non potest arbor mala fructus bonos ferre.* Porrò ex voluntate perversā fieri solet libido, & dum servitur libidini fieri solet consuetudo, & dum consuetudini non resistitur fieri solet necessitas, ait eruditus Augustinus. Accedunt hiſce, Dæmonum astus & suggestiones cap. 5. Ioh. 7, 11, 44; prava peccantium consortia, consilia & exempla. Atque hæ sunt veræ ac genuinæ peccatorum cauſæ.

XX. Impium verò prorsus & blasphemum est vel in animum saltem admittere, quod peccata fiant Deo vel impellente, vel jubente, vel approbante, vel decernente; quod Deus excitet, impellat, moveat, regat, imò creet ad peccata, quod reprobis insiciat peccandi necessitatem; quā Calvini, Bezæ, Zanchij & aliorum invenias *Baqūra.* Nullatenus enim Deus efficit peccatum propriè & per se, sive physicè movendo voluntatem eique inspirando pravos motus, sive moraliter imperando, iuadendo, alliciendo approbando. Sciunt & credunt Reformati, ait ipse Gofredus Hotton, quantumvis Calvini sui plenus, *eam doctrinam quā Deus docetur auctor peccati, non solum in sese longè de Christi Concordia cap. VIII.*

falsissimam esse, sed & aliquid contradictionis habere. Ut enim contradictionis esset aliqua, si quis affirmaret lucem gignere tenebras, sic contrarietas propior contradictioni, si quis Deum boni fontem, affirmaret peccata producere. Hæc ita recte Hotton, utinam terio etiam & ex imâ animi mente! Scilicet non lumen tantum naturæ & rectæ rationi repugnat sententia aut delirium potius, quod Deus sit causa peccatorum, sed apertissimis quoque Scripturæ pronunciatis qualia hic subjiciemus. Deuter. xxxii, 4. Deus veritas, & non est iniquitas, justus & rectus est. Ps. v, 5: Non Deus volens impietatem tu es. Hab. i. v. 13. Mundus et oculis & appetere malum non potes. Zach. vii, 7: Malum proximi ne cogitetis in cordibus vestris, & juramentum mendax ne diligatis, omnia enim ista sunt qua odi, ait Iehovah. I. Ioh. 11, 16, Omne quod est in mundo, cupiditas carnis & libido oculorum, & fastus vita, non est ex Patre sed ex mundo est. Hæc ita tam diserte scriptura.

XXI. Nihilominus non negamus, ipsa quoque peccata ad providentiam divinam pertinere, non quidem ceu esse etus, id enim jam removimus, sed sub ratione nudi objecti aut materiae circa quam ipsa certis modis versetur. Primo enim permittit peccata, quæ per absolutam suam potentiam prohibere posset. Hoc modo satanam param de se ad divexandum S. Iobum, permisit pro suo beneplacito agere; & Spiritum mendaci dedit in ore Prophetarum Achabi 1 Reg. 22, 23. Secundo, subtrahit gratiam praefractis peccatoribus (quod tamen non facit nisi in pœnam precedentium contumacium delictorum) quam subtracta, illi non possunt non porrò cespitare. Ps. lxxxii, 12, 13. Non paruit populus mens voci meæ, noluit obtemperare, permisi igitur eos duritiae cordis ipsorum, & ambulabunt in consiliis suis. Actor. xiv, 5. Deus servit gentes incedere viis suis. Hoc modo Deus induxit Pharaonem, non quidem impertiendo ma-



do malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quan-  
quam illa induratio Pharaonis aliter quoque, & forte fa-  
cilius explicari potest. Hoc eodem modo dicitur Deus er-  
rare facere & indurare Esai, xxxvi, 17. Oportuna sunt quæ  
hic legantur verba Petri à Sancto Ioseph; *Etsi Deus aliqui-  
bus non præbet auxilium, quod si præberet non peccarent, hoc to-  
tum facit secundum ordinem divine sua sapientia & iustitiae;*  
*Vnde non imputatur ei sicut causa peccati quod alius peccet; sicut  
gubernator non dicitur causa submersionis navis ex hoc quod non  
gubernat navem, nisi quando subirahit gubernationem potens*  
*ET DEBENS gubernare. Tertio, differt Deus aliquando*  
pœnam peccatorum, idque fine optimo, ut scilicet im-  
pios ad poenitentiam ducat Rom. 11, 4; quam dilationem  
verò plurimi in occasionem peccandi convertunt. *Quar-  
to, illa quæ impij agunt consilio pravo, Deus permittit*  
consilio ut ita dicamus & eventu bono. Ita Iudæi Chri-  
stum interemerunt, idque permisit Deus, & cum ab æter-  
no præcognovisset Iudæos ad interimendum Christum  
promtos fore, decrevit hoc permittere ut per ipsum ab  
æternâ morte non modo qui morti addixerant sed reliquæ  
quoque mortales redimerentur. Huc pertinet malitia  
filiorum Iacobi adversus fratrem suum Iosephum Gen.  
xlv, 8, & incestus Absolonis, memoratus 11. Sam. xii, 11.  
*Quinto; permittit fieri delictum quod minus sive levius*  
est, & præcludit viam ad gravius idque non permittit fieri.  
Inde dicit David, *Dominum præcepisse Semei ut malediceret*  
*sibi, 11 Sam. xvi, 10; cum tamen præcepisset Dominus*  
*Exod. xxii, 28; Principi populi non maledicere.* Nempè  
dominum præcipere nihil aliud est quam dominum per-  
mittere ut maledicat, & quidem ita permettere, ne inferat  
gravius mali genus, qui alias ad obtruncandum Davidem  
paratus

paratus quoque erat. Vbi non possumus quin moneremus, quod in specie locum hunc 11. Sam. xvi, 10 attinet, aliam eamque facilimam ejus explicationem in mundo esse. Audiamus paulisper Cornelium à Lapide, Præfat. in Pentateuchum de eo differentem. Quid hic agas, si domini non sis — si fontes ipsos sapè non consulas? Hoc enim necessarium esse docet S. Augustinus. Sanè qui nescit quid sibi vellet Hebraicum וְזֹה (quanquam id verbi l. c. non legitur, sed וְזֹה quod quandoque idem sonat) Calvini manus non effugiet. Qui autem Hebraïsum norit, scilicet וְזֹה significare ordinare, providere disponere, omnemque Dei prouidentiam tam positivam quam negativam & permissivam, telum hoc quasi araneæ telam diffabat. Hæc ille Cornelius. Atque ita nunc patebit quomodo Deus O. M. circâ peccata quæ nec efficit nec approbat, occupetur, nempe respectu permissionis, justæ desertionis, dilationis poenarum, directionis in bonum finem & inhibitio majoris mali. Claudiimus verbis S. Augustini: Deus Omnipotens cum summè bonus sit, nullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usq; adeò esset Omnipotens & bonus, ut bene faceret etiam de malo.

Enchirid.  
ad Laurent  
cap. xii;

F I N I S.



99 A 6986

ULB Halle  
002 826 542

3



f

Sl.

Vd 17

Rehv





eg.  
 IO THEOLOGICA  
 DE  
 A TO EIVS  
 DIFFERENTIIS  
 VE CAVSSIS,  
 QVAM  
 EO OPT. MAXIMO  
 PRAESIDIO  
 RDI TITII  
 D. ET PROF. PV.  
 ORDINARII,  
 e VII. April.  
 RI ACADEMIA IULIA  
 indam proponit.  
 OTTO HEISIVS  
 nnoveranus.  
  
 MESTADI,  
 INGI MULLERI.  
 IC LII.  
 Admodum Reverendo, Amplissimo atq;  
 issimo viro Iac. Achacio Mylio Sup;  
 endenti Alfeldensi meritissimo  
 utori et patrono suo magno  
 millo